

prohibito ipsimet rei inhæreat; & in §. 3. immediatè seq. rei forsan alienatæ, longi temporis Præscriptio, fideicommissario obliçienda, excluditur; & in fine datur fideicommissario generalis potestas, rem vindicandi & sibi assignandi, nullo obstaculo ei à detentoribus opponendo: neque distinguitur, quis ille detentor fuerit, an in illum immediatè vel mediatè res per alienationem devenerit: ergo nec nostrum erit distinguere.

147 Alterum conclusionis membrum, quod amplectitur idem Knippshildt d. cap. 12. n. 9. cum pluribus ibidem nominatis, Covarruv. cit. §. 3. n. 6. concl. 2. P. König ad h. l. num. 23. Arnoldus Rath cap. 4. assert. 11. qui hanc sententiam vocat communissimam & verissimam; præter dicta in num. 103. probatur ex eo, quod Præscriptio, utpote regulariter in omni re & jure concessa, in tantum sit abolita, in quantum est expressa. Sed in d. l. ult. §. 3. tantum est expressa Præscriptio longi temporis. Ergo tantum Præscriptio longi temporis est abolita, non etiam Præscriptio longissimi temporis, ut quæ aliàs ad omnia jura porrigitur. Et quamvis in d. l. ult. in fine omnis licentia vindicandi tribuatur fideicommissario, nullo obstaculo ei à detentoribus opponendo, eaque ex consideratione pro contraria sententia Anno 1640. à Tubingensibus responsum fuisse datum, memoret D. Rath cit. assert. 11. idem tamen ibidem contrariam huic sententiam decisionem à Facultate Juridica Ingolstadtensis repositam refert; & merito: cum nec incivile, nec infuetum sit, generalia textus verba ex specialibus limitare & explicare; & idèd h. omnis licentia, & h. nullo obstaculo in d. l. §. 3. ad casum Præscriptionis ordinariæ, de qua sermo fuerat, coartare, rectè interpretandi ratio suadeat.

148 Dico IV. Res dotales, tam immobiles quam etiam mobiles, nullam Præscriptionem admittunt, durante matrimonio inchoatam. De rebus immobilibus conclusio est indubia apud ampnes, propter l. in rebus dotalibus 30. Cod. de Jure dot. ubi dicitur: omnis temporalis exceptio, sive per usucapionem inducitur, sive per decem, sive per 20. annorum curricula, sive per 30. vel 40. annorum metas, sive ex alio quocunque tempore majore vel minore sit introducta, ea mulieribus ex eo tempore opponitur, ex quo possunt actiones movere, id est, opulentes quidem maritis constitutis, post dissolutum matrimonium, minus autem idoneis, ex quo hoc infortunium eis illatum esse claruerit.

149 De rebus vero mobilibus conclusio quidem est controversa inter DD. à pluribus tamen approbata, speciatim Brunnem. ad d. l. 30. n. 13. & 14. Rath assert. 10. Clariss. D. Franz

ad h. l. n. 19. contra Baldum, Bachovium, & alios. Cujus ratio est l. ex eadem l. in qua perspicue omnis exceptio cessare dicitur, sive major sive minor sit decennio. Atque Præscriptio minor decennii est triennalis, spectans ad solas res mobiles. Ergo &c. II. 150 In d. l. in principio Imperator constituit, in rebus dotalibus, sive mobilibus, sive immobilibus vindicandis, post dissolutum matrimonium mulierem omnem habere prerogativam; & parvò post intervallò omnis Præscriptio excluditur, adversus mulierem, stante matrimonio opponenda, absque ulla expressione, sive res mobilis, vel immobilis. Ergo æquè in rebus mobilibus ac immobilibus est exclusa. III. 151 Est omnimoda paritas inter res mobiles & immobiles: idèd enim quoad istas mulier non formidat Præscriptionem, quia stante Matrimonio agere impeditur d. l. 30. V. ex quo possunt actiones movere. Sed etiam quoad illas, seu mobiles, agere impeditur, cum perinde ac immobiles in dominio mariti transeant. Ergo &c.

Limitanda tamen est conclusio I. ut solum 152 in rebus mobilibus procedat, quæ servando servari possunt, quales sunt vasa aurea, argentea, artificiosa, margaritæ, cimelia, uniones &c. non item in illis mobilibus, quæ fungibiles vocantur, seu pondere, numero, & mensurâ constant: sicut enim probabilior, & atque inter veteres & novos practicos teste Brunnem. ad l. res in dotem data 42. ff. de J. D. receptor sententia est, res fungibiles posse à marito licitè & liberè alienari, non etiam servandò servabiles per d. l. res in dotem, ubi specialis rerum fungibilium expressio inserit ceterarum exclusionem, quoad potestatem alienationis: ita probabilior etiam videtur, quòd rerum fungibilium, non item ceterarum, plenum dominium ad maritum pertinet; & consequenter ob defectum rationis tertiar, primùm adductæ, res fungibiles nullò quoad Præscriptionem favore potiantur; II. ut non obtineat in rebus paraphernalibus, 154 seu extra dotem consistentibus: harum enim dominium absolutum, cum panes uxorem remaneat, earumque nomine & agere & conveniri possit, exemptionem à Præscriptione non meretur. Covarruv. lib. 1. var. resol. c. 8. num. 8. III. ut aliud statuatur tam in rebus 155 mobilibus quam immobilibus, quando, labentibus facultatibus, maritus incipit vertere ad inopiam: nam uxor, cui pro illa circumstantia plenissima experiendi licentia legitur indulta in l. ubi adhuc 29. Cod. de J. D. extraordinariò Juris privilegio digna non videbatur l. in rebus dotalibus 30. Cod. eod.

SECTIO II.

De Obligationibus & Actionibus quibusdam personalibus.

SUMMARIÆ.

156. & seq. Transitus ad præsationes annuas.

158. & seq. Si continentur uniformiter, cer-

ta ex causa, per longum tempus, operantur præsationem tituli. 165. & seq. Non autem

Præ-

Præscriptionem. 169. & seq. Si continentur explicatò modo per tempus longissimum, Præscriptionem inducunt. 172. & seq. Si continentur per tempus immemorabile, Præscriptionem sine expressione causa parant. 174. & seq. Dns collectanea. 179. & seq. An etiam obligatio Missas applicandi per Præscriptionem intraduci valeat? Rationes dubitandi proponuntur. 183. & seq. Assertur, & probatur negativa. 189. & seq. Rationes dubitandi refutantur. 194. Digressio ad extinctionem præsationum annuarum. 195. & seq. Adducitur l. 7. §. ult. Cod. de Præs. 30. annor. & referuntur diversa DD. placita. 199. & seq. Concluditur, quòd unica Præscriptio sufficit, si præsationes annue debeantur ex actu inter vivos. 203. & seq. Prima probatio ex generali regula in l. 3. Cod. d. t. 210. & seq. Altera probatio ex l. 26. Cod. de Usur. una cum relatione & enumeratione responsonum con-

trariarum. 218. & seq. Tertia ex paritate usufructus. 224. & seq. Quarta ex unitate actionis. 230. & seq. Quinta ex decisione Juris Canonici. 239. & seq. Eadem conclusio tenetur & probatur in obligationibus annuis ex ultima voluntate. 242. & seq. Dilucidatur d. l. 7. §. ult. 350. & seq. Tres objectiones alio moventur, & remouentur. 261. & seq. Progressus ad jus lœndi pignoris. 265. & seq. Admittit Præscriptionem, debet necdã solutio. 271. & seq. Argumentum contrarium, quòd actio non sit nata, prosteritur. 284. & seq. Alterum argumentum de defectu possessionis rejicitur, & ostenditur, quòd debitor remansit rei vindicatio. 291. & seq. Agitur de jure retrahentis. 293. & seq. Non refugit Præscriptio tricenariam, quando simpliciter est reservatum. 296. & seq. Ius etiam, sicut per totum reservetur. 298. & seq. Obiecta diluuntur. 305. & seq. Examinatur Præscriptio in delictis.

§. I.

De acquisitione annuarum præstationum per lapsum temporis.

156 **P**osteaquam de rebus ac juribus præscriptibilibus in genere præcedentem Sectionem absolvimus, lubet modò ad res & jura præscriptibilia in specie transire, ac primò quidem de acquisitione annuarum reddituum seu præstationum, vulgò per Einnemung Jährlicher Rendten / Zinsen / Pachten / Schuldgelten / u. quæstionem, æquè in theoriam difficilem, ac in praxi frequentem ad statum Juris appendere, possint solò & quàm diuturnò temporis intervallò comparari?

157 Ubi plurimùm interest, præcise, fuerintne præstationes uniformes, puta, quòd singulis annis eadem quantitas sit præstita, nec ne? Item processerintne præstationes illæ ex causa certa ac specifica, v. g. ex jure conventionis, transactionis, subjectionis, an verò ex causa incerta? Ex hac enim præscientia definiendè erit, quantum temporis spatium ad ejusmodi Præscriptionem requiratur. Definitio itaque, & 158 Dico I. Annua præstatio, uniformiter & certa ex causa longò tempore continuata, inducit præsumptionem veræ causæ & tituli. Ita post Bartolum, Salicetum, Alexandrum, & alios Balbus l. p. 3. princip. 4. 10. num. 20. Covarruv. p. 2. Relect. cap. possess. §. 4. num. 2. Gilken de Præs. p. 2. M. 1. cap. 4. a. num. 17. Menochius lib. 3. præsumpt. 131. num. 58. & 59. Vasquius contro. usurar. lib. 2. cap. 61. num. 3. 159 & cap. 84. a. num. 31. Ita Imperator Antoninus Lœndis in rem verso 6. in pr. ff. de Usur & fruct. determinat, dum de usuraria præstatione ita loquitur: cum de in rem verso cum herede patris vel domini ageretur: Imperator Antoninus idèd solvendas usuras judicavit. quod eas ipse dominus vel pater longò tempore NB. præstisset.

tuitò imponere, sed potius ex præcedente causa & titulo debitum extolvere, præsumatur. Ita Rota Rom. in recent. p. 4. to. 2. dec. 153. num. 19. & seq. & p. 7. dec. 57. num. 1. 2. & 3. Quod confirmari potest l. ex l. libris 22. Cod. 161 de Agricol. & censu. lib. 11. ubi ex præstatione annua, per longum tempus prorogata, infallibilis desumitur præsumptio, quòd accipiens dominium, dans verò obligationem colonihæbeat. II. ex allegato Menochio, qui 162 num. 60. quadruplicem rationem d. l. cum de in rem verso adducit. I. respicit solventem, & sic causam: quia nemo præsumitur jacitare suum: solvens ergo præsupponit, & affirmat obligationem. II. respicit finem: nam solutio hæc decennalis facta est ad liberationem obligationis; atque ita illam supponit. III. respicit matetiam live causam: cum enim solvitur ut debitum, præsupponit materiam & causam debiti. IV. ratio respicit formam: nam reiteratio frequens inducit frequentem recognitionem, cui contravenire non licet arg. l. generaliter 13. Cod. de N. N. P. Rectè igitur ex annua præstatione, uniformiter & certa ex causa longò tempore continuata, præsumptio veræ causæ & tituli inducitur.

Dixi uniformiter & certa ex causa. Alteru- 163 trum enim si deficit, deficit fundamentum inferendi seu presumptionis seu Præscriptionem. Nam præstationum difformitas, in hoc constituta, quòd unò annò 10. in altero 13. in tertio 6. præstantur. reddit possessionem accipientis discontinuam. Defectus autem certæ ac specificæ causæ, advertente Balbò cit. quest. n. 23. vel idèd officit: quia Legum præsumptiones non adaptantur ad ea, quæ incertam habent formam erogationis. Imò, arguit idem Balbus, præstatio non debet velle operari quàm stipulatio: at hæc sine expressione causæ non valet l. palam est 2. §. 3. ff. de Doti mali & met. except. ergo nec præstatio.

C c 2

Dixi

- 165 Dixi insuper in conclusione: inducit praesumptionem, non Praescriptionem. Nam ad Praescriptionem longi temporis, ut sub loco audiemus, requiritur titulus, non qualitercumque praesumptus, sed coloratus saltem. At sola praestatio, etiam uniformiter & certa ex causa, hoc est, cum expressione obligationis facta, tantum inducit praesumptionem tituli seu obligationis, non vero efficit titulum, saltem coloratum, ut explicant Authores laudati. Ergo non inducit Praescriptionem.
- 166 Ex quo duae notabiles consequuntur illationes: prima est, quod praesumptio ex decenniali praestatione elicita, cum sit Juris tantum, admittat probationem in contrarium. Menoch. d. praesumpti. num. 74. Vasquius ibidem num. 31. & alii communiter. Altera est, quod ista praesumptio evanescat, quando contra eam, quod decennalem recepit praestationem, aliqua Legis dispositio, vel contraria Juris praesumptio pugnat. Rota d. p. 7. dec. 57. num. 12. Exemplum unum ex Menochio citi. l. num. 76. habemus in Laico, qui etsi per 10. annos decimas Ecclesiasticas percepit, praesumptione tituli nullatenus adjuvatur.
- 167 Aliud ex eodem colligimus in eo, qui decennalem praestationem ex titulo donationis peractam allegat: donatio quippe non praesumitur l. cum de indubio in pr. 25. ff. de Probat. Balbus cit. loc. n. 21. in fine: & quaevis causa, etiam fatua, à donatione excusare dicitur. Quamquam posterius exemplum impugnet Gilken d. p. 2. ad. 1. cap. 9. n. 6. & Vasquius d. l. 2. cap. 84. n. 35.
- 169 Dico II. Annua praestatio, jure & ratione redditus perpetui continuis 30. annis uniformiter facta, non tantum praesumptionem tituli, sed veram redditus perpetui acquisitionem parit. Covarruv. d. loc. num. 3. Balbus ibidem num. 27. Menochius ubi supra num. 51. qui duo posteriores idem in rebus, quae maximi etiam praesudici sunt, asserunt. Fundatur hoc assertum partim in l. sicut 3. & in l. omnes 4. Cod. de Praescripti. 30. annor. ubi longissimi temporis tractui omnia jura subterminantur: partim in 2. feud. tit. 26. §. si quis 4. ubi, dum per servitia, 30. annorum intercapedine praestata, feudum acquiri posse decernitur, satis innuitur, & vasallo interea jus feudi, & domino jus petendi servitia in futurum partum fuisse: partim ex communi doctrina, inferius in cap. seq. ob oculos ponenda, quae ad Praescriptionem longissimi temporis titulum praesumptum duntaxat petit. Unde secundum Covarruv. d. num. 3. in fine tanti temporis Praescriptioni nihil adversatur, licet ex adverso probetur de defectu principii.
- 172 Dico III. Annua praestatio & uniformis, per tempus immemorabile propagata, operatur redditus annui acquisitionem, etiam si specialis causa non allegetur. Covarruv. d. §. 4. num. 4. Menochius d. praesumpti. 131. num. 38. 173 cum numerosa Doctorum turba. Ratio desumitur ex vi & virtute Praescriptionis im-

memorialis, quae, ut sub tempore dicemus, tam Legis quam privilegii effectum habet. Atqui reditus annuus, ex Lege & privilegio acquisitus, specialis causae allegationem non postulat. Ergo nec acquisitus ex decursu temporis immemorialis. Ex quibus

Colliges I. quoniam has inter conclusiones differentia intercedat. Prima dicit annuam praestationem, uniformem ex causa certa & specifica contingentem, solummodo praesumptionem tituli gignere, in casu vide licet, quod quis alterum ad praestations quasdam, singulis annis imposterum faciendas, obstrictum asserit, atque in probationem tituli uniformis praestations, ex certa causa decenniali iteratas, assumit: tunc enim Juris praesumunt interea titulum pro asserente, donec Adversarius contrarium ostenderit. Secunda vero conclusio amplius aliquid dicit, 175 quod nempe 30. annorum lapsu non titulus duntaxat ex parte accipientis annuas praestations praesumatur, verum etiam Praescriptio pro completa habeatur, ita ut adversarius titulum impugnet non ausit, ex quo in simili Praescriptione titulus non alius quam praesumptus desideratur. Tertia 176 demum praeter uniformitatem praestations nihil penitus, ne quidem allegationem causae, exposcit.

Colliges II. paulo aliter philosophandum 177 esse, quando non de praestations sed patientia agitur, v. g. quando is, quem obligatum nobis volumus, non fecit aliquid, sed passus est tantummodo aliquid in suo fieri: in hac quippe hypothefi cum grano salis erunt applicanda, quae in proximo cap. de acquisitione servitutum differuntur. Interea videri 178 poterunt de hac & similibus materiis plenam manu tractantes Gilken d. p. 2. n. 1. à cap. 4. usque ad cap. 10. Balbus cit. 1. part. tert. princ. q. 10. num. 7. 12. & seqq. Menoch. d. praesumpti. 2. num. 91. ubi etiam in num. 57. 58. 97. 98. tractat de praesumptione tituli liberatori ab obligatione, quae alteri sum devinctus erat.

In factu quaesitus sum: utrum ex applica- 179 tione Missarum, in favorem fundatorum aut benefactorum per longissimum tempus, ex erronea obligatione, à Clerico beneficiario continuata, consurgat Praescriptio, & hae adminiculante, tam ex parte beneficiarii, quam successorum nascatur obligatio, detecto etiam errore, similem applicationem in perpetuum faciendi?

Ratio quaerendi & dubitandi sumitur ex 180 dictis: quia, si quis onus aliquod aut servitium in gratiam alterius in se susceperit, illudque ex erronea opinione, quod obligatus sit, per tempus, ad Praescriptionem completam definitum, continuaverit, manifestato postmodum errore nihilominus illud onus subire tenetur. Ergo idipsum in factu proposito asserendum, prout asserunt Fraxinell. de sacerdot. obligat. sect. 4. conclus. 4. §. 17. n. 3. Thomas Tamburin. de Sacrificio Missae lib. 3. cap. 7. §. 2. num. 1.

Acce-

- 181 Accedit, quod plerique DD. admittant, obligationem, quae Sacellanus Missam legere, vel ad intentionem & commodum alterius applicare tenebatur, per Praescriptionem aboleri posse. Tamburin. d. l. §. 1. num. 1. Gobat Theol. experiment. tr. 3. num. 514. Franciscus à Mostajo in tr. de Causis lib. 2. cap. 7. num. 55.
- Insuper docet Carolus Antonellus de tempore leg. ali. lib. 4. cap. 10. num. 30. & seq. quod, ubi agitur de augmento cultus Divini, ea, quae ab initio sunt merae facultatis, ex cursu longissimi temporis, favore cultus Divini, sicut necessitatis arg. l. sunt persona 43. ff. de Religios. & sumpt. fun. veluti judicavit Rota in recent. p. 4. n. 2. dec. 54. n. 9. ubi, quod Clerici per longissimum tempus Ecclesiae infervierint, coguntur etiam imposterum servire; & ead. p. 10. 3. decis. 701. n. 5. idipsum renuit de Missis. quae per longissimum tempus in aliqua Ecclesia decantari consueverunt. At, hiscerationibus non remorantibus, 182 Respondi cum Suarezio, quem citat & sequitur Clarif. P. Wex in sua Ariadne p. 4. dec. 2. casu 9. num. 2. negativè, approbante sic & confirmante facultate nostra. Ratio praecipua est: quod Praescriptio, si positiva sit, atque jus aliquod in praescribente de novo pariat, ex parte illius praeripimus requirit bonam fidem & possessionem vel quasi. Atqui non potest in praesenti casu ex parte praescribentium, qui sunt beneficii fundatores aut benefactores, bona fides vel possessio concurrere. Nam, si fundatores aut benefactores à beneficiatis exigerent, ut Missam de se liberam, ad ipsorum intentionem & salutem ex obligatione applicarent, agerent professè non bona, sed mala fide: utpote cum ille, qui scit jus exigenti sibi nullum committere, & tamen exigit, agat illi citè. Possessio quoque isdem suffragari nequit: partim quia, tamenti Missas, pro se lectas, non recusataverit, attamen ob defectum tituli non potuerunt habere voluntatem, obligandi beneficiatum, ut ejusmodi lectionem cum obligatione continet: partim quia, si benefactores aut fundatores jam decesserint, non possunt amplius animum efficacem habere, acquirendi jus proprietatis, & obligandi beneficiarios in suum commodum: sicut enim, ex deductis in cap. 1. n. 91. mortui non amplius
- 183 censentur habere memoriam in ordine ad commercium humanum, ita nec intellectum aut voluntatem.
- Confirmatur duplici paritate. Inprimis 187 enim, licet Clericus aliquis per annos plurimos redditus superfluos & non superfluos erogaret in pauperes, erroneè credens, se ex justitia ad talem erogationem obstrictum esse, pauperes tamen nullatenus contra ipsum praescriberent, ut etiam deinceps, errore cogitò, talem erogationem ex justitia facere teneatur.
- Deinde, licet quis ex errore 188 putaverit, se vovisse annuatim certas Missas, in solatium Defunctorum legendas, ac longissimò tempore eum in finem sacra persolverit, animae purgantes jus contra ipsum, auxiliante Praescriptione, non acquirunt. Ergo idem in nostra facti specie concludendum.
- Ad I. rat. dubitandi Resp. posse utique 189 tam onus aut servitium aliud, quam obligationem applicandi Missam alicui per Praescriptionem imponi, supposito bona fide & possessione, quae utraque deficit in praesenti.
- Ad II. Resp. assignandò discrimen inter 190 Praescriptionem, quae aboletur obligatio veteris, & inter Praescriptionem, quae nova producit: haec enim, ut insinuat in n. 183. est positiva; illa vero est negativa, possessionem ex parte praescribentis non desiderans. Authores, in contrarium allegati, debent 191 intelligi de Praescriptione, suis conditionibus rite vestita. Quin imò Tamburin. in d. §. 2. num. 6. opinionem suam, antehac disputationis gratia propositam, declarasse, vel (quod certius est) revocasse videtur.
- Ad III. Resp. dupliciter. I. quod actus 192 merae facultatis sicut actus necessitatis, quando agitur de augmento cultus Divini, & simul manifestè non constat de contrario: in claris enim & perspicuis non est opus, quaerere conjecturas aut praesumptiones, sed ipsa praesumptio debet veritati cedere. II. 193 quod favor Divini cultus aliquid singulare operetur, quando peractum necessitatis ille singulari robur & incrementum capie: id quod neutquam in casu nostro contingit, ubi Divino cultui perinde vel magis est prospectum, si beneficiatis libera reliquatur intentio, Sacrificia sua omni meliori modo applicandi.

§. II.

De extinctione praestationum annuarum per lapsum temporis.

- 194 Erimus de acquisitione praestationum annuarum cessis, sed etiam reliquis, adhuc ante 3. 4. §. &c. annos debitis, praescripserit? Occasionem celeberrimam huic quaestioni 195 dedit famosa l. cum vorissimi juris 7. §. fin. Cod. de Praescri. 30. annor. cuius formalia sunt sequentia: In iis etiam promissionibus vel legatis, vel aliis obligationibus, qua donationem per singulos annos, vel menses, aut aliquod singulare tempus continent, temporum memoratorum Praescriptionem non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cujuscunque anni, vel mensis, vel alterius singularis temporis

Cc 3

compi-

computari, manifestum est. Diversæ hujus Legis explicationes in diversas Doctorum mentes abstraxerunt sententias. Aliqui docent, Imperator in cit. l. pro singulis annis singulas exegisse Præscriptiones, ita ut post 32. annos primis tantum duobus annis præscriptum esse, sique Præscriptionem obligationum præteritarum ad futuras non extendendi, defendant. Alii, & quantum hæc videtur licuit, plurimi opinioni è diametro contrariæ insistant, posse nimirum obligationibus annis intra tricennium simpliciter tam quoad præteritas quam futuras præscribi, eò effectu, ut creditor, debitorem posthac interpellare volens, non audiat.

Multi viâ diffinitionis incedunt, ac in obligationibus, quæ ex actibus inter vivos, stipulationibus, conventionibus &c. oriuntur, generalem & absolutam Præscriptionem admittunt; at in obligationibus, quæ ex actu ultimæ voluntatis, legato vel fideicommissio nascuntur, tot Præscriptiones, quot anni interveniunt, requirunt. Ego, apponderatis cujuslibet sententiæ momentis, duabus conclusionibus sensum meum explico, &

Dico I. In actibus inter vivos tota Præscriptio annuarum præstationum quoad præteritas & futuras 30. annis expeditur. Ita jam olim post Bulgarum antiquum Glossatorem docuerunt Jacobus de Arenis, Petr. Cyn. Alberic. Salyc. Jacob. Buc. Paulus Castrensis ad l. de pupillo §. Si fin pluribus ff. de N. O. N. n. 2. Alexander de Immo ad eandem l. & ad l. cum notissimi §. in his etiam. Angelus ibid. Bartolus eod. loc. Maynus Consil. Juris Pol. 1. consil. 7. nov. 7. (ubi etiam veram & communem hanc sententiam pronuntiat.) Hieronymus Schurff. cent. 1. consil. 10. n. 8. & seqq. Nicol. Everhardi Senior consil. 187. in fin. Franciscus Balbus de Præscript. 4. part. 4. princip. q. 4. n. 2. Panormitanus ad cap. olim de Censib. n. 5. & ad cap. auditis h. r. n. 36. Joannes andreas ad idem cap. Barbolæ in collectan. ad Jus Pontif. ad d. cap. olim de Cens. n. 1. Cardinal. Tuscus conclus. præctice, concl. 54. §. lit. P. Vasquius Illustr. contro. lib. 2. c. 83. n. 39. eamque sententiam communiter docere modernos, tradit Boër. decis. 336. n. 1. & tenet etiam Arnoldus Rath c. 4. asserti. 8. lit. d. P. Haunold 4. tr. 5. cap. 2. contr. 5. n. 358. Brunneus. ad d. l. cum notissimi. n. 6. (ubi etiam in puncto Juris opinionem hanc veriorē judicat) Svendendorffer in notis ad Eckolds rit. de annis & Mensr. leg. Clariss. D. Chlingensperger ad b. r. q. 24. Clarissim. D. Philippus Braun ad eund. 1. pag. mibi 193. Struvius Synagm. Juris Civ. Exercit. 43. th. 16. contra Martinum antiquum Glossatorem, Hostiensem in summa ad h. l. §. quare præscribi &c. Surdum, Mathiam Coler. Fachinæum lib. 8. Contr. cap. 99. Myfingerum cent. 3. observ. 13. Andream Gail. lib. 2. observ. 73. qui duo ultimi sententiam suam multis Cameræ præjudiciis confirmatam referunt. Hancque sententiam, in Rota Romana receptam esse, quando obligatio provenit ex contractu absoluto, in ter-

minis est decisum in recent. p. 4. to. 1. dec. 315. num. 1. & si quæ decisiones in contrarium afferantur, debent intelligi de obligatione conditionata, veluti dicitur in p. 9. dec. 373. n. 19. & seqq. & p. 15. dec. 330. n. 19.

Probatum conclusio I. ex generalitate textuum in sæpe hæc tenus adductis, l. siem 3. & l. omnes 4. Cod. de Præscript. 30. annor. ubi omnes omnino actiones, reales & personales, jugi 30. vel 40. annorum silentio extingui dicuntur. Neque assignari potest Lex aliqua, quæ à communi hac regula obligationes annuas clarè & perspicue excipiat. Ergo standum est regulæ universali, donec evidenter probetur exceptio.

Si dicas, que obligationes annuas ab ordinaria Præscriptionis regula ex eo sufficienter censeri exemptas, quòd singulis annis nova renascatur actio: nil dicis, nisi apertum hujus exceptionis & renascentiæ textum ostendas, quem nemo Adversariorum hucusque ostendit. Imò, si in obligationibus annuas, annuam actionis rescuscitationem adstruamus, in plerisque juribus & actionibus aliis idipsum adstruamus, oportet, neque enim actio petendi equum ex empti, actio pro socio, actio communi dividundo &c. actio petendi pecunias ex mutuo, primò statim annò non intentata, vitam perdit juridicam, sed singulis quasi annis legalem resuscitabitur. Et tamen hoc absurdum esse, spiritum deducitur ex l. super annali 1. §. 1. Cod. de Annal. Except. ubi Imperator, nemo itaque audeat, dicit, neque actionem familia heriscunda, neque communi dividundo, neque finium regundorum, neque pro socio, neque furii, neque vi bonorum raptorum, neque NB. alterius cujusvisque personalis actionis vitam longiorem esse 30. annis interpretari: sed, ex quo ab initio competit & semel nata est, & non NB. iteratis subulis sæpe recreata, quemadmodum in furti actione dicebatur, post memoratum tempus finire.

Confirmatur. Nihil tam naturale est, quàm unumquodque eò modò dissolvi, quò fuit colligatum l. nihil 35. ff. de R. J. Sed jus exigendi præstationem annuam spatio 30. annorum acquiri potest. Ergo eòdem quoque tempore potest amitti; præsertim cum aliunde Jura sint priora ad tollendas quàm inducendas obligationes l. Arianus 47. ff. de O. & A. Promovetur argumentum. Non magis dici potest, pro qualibet præstatione annua particularem esse actionem de Jure prodictam in casu omisse præstationis, quàm in casu exhibitæ præstationis: uti enim in priori casu creditor habet jus ad petendas præteritas vel futuras pensiones; ita in posteriore putativus debitor, habet jus ad repetendas per conditionem indebiti pensiones, sine causa præstitas: & tamen, non obstante isthac actionum regeneratione, potest quis præscribere intra tricennium jus exigendi præstationes annuas in futurum. Ergo etiam intra idem temporis curriculum eòdem jure poterit privari.

Probatum

Probatum II. ex l. est qui 26. in princip. Cod. de Usuris, ubi constituitur, quòd unò eòdemque tempore ipsi actioni principali & usuris ac fructibus præscribitur; adeoque 30. annis, si actio fuit personalis. At nemo dubitat, quin obligatio usurarum sit obligationibus annuis ascendenda. Ergo obligationi annuæ præscribi potest 30. annis.

Respondet Fachinæus ubi supra, singularem hujus L. rationem in ipso contextu insinuari, quòd nempe, perempta obligatione principali, supervacuum sit, super usuris vel fructibus adhuc Judicem cognoscere: ideòque in reliquis obligationibus annuis, ubi similis ratio non suffragatur, aliud observari, hoc ipsò, quia Imperator rationem dubitandi, ex renascentia obligationis annuæ ab initio propositam, universaliter non rejecit. Sed

Contra est I. quia, concessa semel unica Præscriptione in obligationibus annuis, nulla apparet ratio, cur idem semper & pro semper non sentiamus: si enim vel semel admittatur ut possibile, unica Præscriptione omnes obligationes & actiones, quot annis redivivas, suffocari posse, non obscure colligitur, ex natura rei in obligationibus annuis non requiri tot Præscriptiones, quot sunt anni; quòd tamen unicum fere Adversariorum est fundamentum.

Contra est II. quia usuræ ordinariè debentur vel ex natura contractus propter moram aut compensationem, vel ex pacto, contractui incontinenti adjecto: sique eadem actione, quæ res principalis, etiam accessoria seu usuræ petuntur. Dum igitur Imperator in d. l. statuit, actione principali submotâ, supervacane de usuris controverti, dicere voluit: actione quoad objectum principale submotâ, frustra de objecto accessorio & minus principali quæstionem institui. Cur ita? Quia unica actio unicam duntaxat Præscriptionem efflagitat. Sed ex dictis una est actio pro sorte principali & usuris. Ergo unicam duntaxat Præscriptionem efflagitat. Unitas igitur actionis, non verò connexio rei principalis & minus principalis Imperatoriam constitutionem extorrit: nec enim quispiam tam hospes est in Jure, qui nesciat aliam sanctionem, contentam in d. l. cum notissimi 7. §. 1. Cod. de Præscr. 30. annor. ubi, non attendò, quòd actio principalis 30. vel etiam paucioribus annis extingui possit, actionem hypothecariam, vel accessoriam, adversus debitorem ejusque hæredem ad 40. annos prorogavit. Eadem autem videtur ratio de cæteris obligationis annuæ speciebus: nam de his etiam cum P. Engel ad rit. de Decimis num. 48. dici potest, quòd duplicem obligationem, principalem & minus principalem (seu duplex objectum) continent: unam, quâ substantia totius obligationis petitur; alteram, quâ singulæ obligationes singulis annis exiguntur: præscripta jam obligatione principali per 30. annos, obligatio etiam minus principalis,

utpote ex eadem radice promanans, præscripta censetur.

Contra est III. quia usuræ etiam seorsim ac independentes à debito principali longò tempore possunt præscribi quoad partem, hoc est, ut in quantitate majori promissæ, in minori deinceps solvantur per l. qui semisses 13. in pr. ff. l. adversus creditorem §. Cod. de Usuris; nec requiruntur tot Præscriptiones, quot sunt anni. Quòd profectò neque in connexionem fortis principalis cum minus principali, quæ hic est nulla; neque in odium usurarum præcisè referendum est: cum etiam usuræ ex eo solo capite, quòd longò tempore fuerint solutæ, deinceps solvi mandentur in l. cum de in rem verso 6. ff. eod. veluti in priore §. declaratum est. Ut præteream, quòd aliqui apud Klockium tom. 2. consil. 40. num. 1. redditus annuos, veterum usurarum succedaneos, ac magna cum illis affinitate connexos, doceant.

Probatum III. Jus servitutis, præsertim personalis, qualis est usufructus, decenii vel vicennii Præscriptione periturum; quò faciunt textus in l. corruptionem 16. Cod. de Usufr. l. pen. & ult. Cod. de Servitut. & aqua. Sed jus servitutis, præsertim personalis, qualis est usufructus, est jus annuum. Ergo jus annuum Præscriptione decennii vel vicennii in totum potest periri. Ergo unica Præscriptione opus est. Minorem negare si audeas: quæro, quomòdò jus annuum definit? Si respondeas, uti respondere debebis, esse jus percipiendi singulis annis aliquid commodum ex re alterius: infero ego, jus servitutis, v. g. usufructus, esse jus annuum, quia est jus percipiendi singulis annis fructus & emolumentum ex re aliena in commodum usufructuarii. Quòd si replices: jus servitutis esse reale, jus verò annui redditus personale, non satisfacis: tum quia jus percipiendi redditus annuos quandam servitutis speciem habere videtur, maximè respectu tertii possessoris, qui nullâ personali actione potest conveniri, uti optimè notavit Rath d. asserti. 8. lit. d. tum quia ratio fundamentalis negantium unitatem Præscriptionis in obligationibus & rebus annuis radicatur in multiplicitate actionis, quot annis renascentis; sique non est differentia inter actionem realem & personalem, cum & illa & ista resurgere valeat: tum quia in usufructu quoque actio & obligatio personalis competere noscitur ex d. l. corruptionem de Usufructu, eò collimans, ut dominus patientiam exhibeat: tum quia ad Præscriptioem nihil interest, possitne aliquis vi juris realis propriâ autoritate colligere fructus ex alieno agro, uti potest usufructuarius; an verò alter obligatus sit personaliter, creditori singulis annis certos fructus subministrare: utroque enim casu jus & obligatio annua intervenit; eò solum discrimine, quòd in primo persona domini tantum mediat, in altero verò persona debitoris immediatè sit obligata; quòd certè non est ad rhombum.

Proba-

- 224 Probatur IV. fundamentaliter. Una actio & obligatio unā tantum Præscriptione deletur. Sed in rebus & præstationibus annuis una est actio & obligatio. Ergo &c. min. probatur I. ex l. si fidei 16. §. un. ff. de V. O. ubi Pomponius, stipulatio, ait: hujusmodi, in annos singulos, una est, & incerta, & perpetua. Sed una stipulatio unam producit obligationem & actionem, sicut una emptio unam obligationem & actionem ex empto. Ergo in obligationibus annuis est obligatio & actio una.
- 225 Nec contradicit Pomponio Paulus in l. pluribus 140. in pr. ff. eod. ubi, si pluribus, inquit, rebus præpositis ita stipulatio facta est, ea omnia, qua supra scripta sunt, dari? proprius est, ut tot stipulationes, quot res sunt. Nam sciendum est ex l. scire debemus 29. in pr. eod. tit. quotiescunque multiplicatur objectum specificè, hoc est, res diversæ speciei in stipulationem deducuntur, toties multiplicari stipulationem, quia actus distinctionem ex objecto recipit: actus stipulationis annua, uti suppono, ad unam duntaxat speciem seu, ut alias loquuntur Juristæ, ad unum genus, v. g. certam pecuniæ frumenti, olei &c. summam ordinariè est restricta. Ergo non multiplex sed una.
- 227 Probatur eadem minor II. quando omnes præstationes annuæ, tam præteritæ quàm futuræ, simul repeti possunt, tunc earum nomine unica tantum actio competit: ad quid enim contra naturæ & artis principia multiplicamus acta, & ad id, quod unò actû expediti potest, plures actiones requirimus? Atqui omnes præstationes annuæ, tam præteritæ quàm futuræ, simul repeti possunt l. liberis 18. §. 1. ff. de Aliment. & cibariis leg. & l. si probaveris 1. Cod. de Fideicommissis. Ergo earum nomine unica tantum actio competit.
- 228 Censet equidem Fachinæus, ex hoc argumento non probari unitatem Præscriptionis, quoniam pro toto tempore non alia de causâ agi potest, ac quia absurdum est, ut quis pro singulis pensionibus peculiarem processum instituat: quæ tamen res, pergit Fachinæus, non immutat naturam obligationis, & multo minus Legis sanctionem circa ipsam obligationis annuæ Præscriptionem, tam apertè positam in d. l. cum notissimi &c.
- 229 Verum hæc responsione argumentum non esse solutum, quò non advertit? Non contendo ego, sitne in favorem creditoris vel aliam ob causam concessum, quòd in annuis redditibus etiam in futurum agi possit; sed, hæc concessio, habeo, quòd probare conatus eram, nempe unitatem actionis, ex qua manifestè unitatem Præscriptionis concludo; simul adversæ partis fundamentum evertò, quòd & actio & Præscriptio in redditibus annuis non multiplicetur.
- 230 Probatur V. De Jure Canonico est certum, quòd in præstationibus annuis una tantum Præscriptio sit necessaria. Ergo idem de Jure Civili dicendum: cum juxta tritissimum cap. 1. de N. O. N. inter Jus unum & al-

terum sine causâ urgentissima divortium non sit faciendum; quia potius ex unanimi Canonistarum & Civilistarum doctrina Jus Civile dubium ex Jure Canonico clario, & vicissim, explicandum. Antecedens probatur I. ex cap. de quarta 4. h. 1. ubi ad Præscriptionem quartæ decimarum; quòt annis Episcopo debitam, unica 40. annorum Præscriptio desideratur. II. ex cap. ad aures 6. X. 232 cap. 1. eod. in 6. ubi jus decimandi, quòd utique est annuum, intra spatium 40. annorum prorùs extingui dicitur. III. ex cap. audi- 233 cis 15. h. 1. ubi indiscriminatim de juribus Episcopalibus, intra quæ nisi dubio aliquid ad jura annua referri possunt, statuitur, quòd 40. annis ab Episcopo amitti valeant. IV. ex 234 cap. ad audientiam 13. d. 1. unde non obscure colligitur, jus annui censûs unicâ Præscriptione, nempe contra Ecclesiam Romanam centenariâ, contra inferiorem autem ordinariâ perimi. V. ex cap. olim causam 20. de Consecratis summarium, nigro minimè contrarium, est hoc: solvendi sunt censûs ad antiquam morem, in qua instituti fuerint, nisi in alterius moneta solutione (quamvis vilior ac minor fuerit) præscriptum: tenentque idem placitum Abbas ad d. cap. n. 1. & 5. Fagnanus ibid. num. 1. 14. 15. 16. Gonzalez in not. ad id cap. lit. E. Ex 235 cum D. Rath cit. loc. ita argumentari licet: si in censû annuo admittatur Præscriptio ex parte, sive quoad certam speciem monetæ, cur non similiter in toto, sive quoad universum Jus extinguatur? Ergo de Jure Canonico non minus clarum, quàm certum est, in obligationibus annuis unicam sufficere Præscriptionem. Memini tamen, à Jcto quòdam, æquè in 236 Theoria expertissimo, quàm in praxi famigeratissimo, (cui, non ita pridem defuncto, beatam requiem precor) hoc argumentum dolò bonò inversum, ac in præsidium oppositæ sententiæ hunc in modum applicatum fuisse: Jus Civile clarum in materia adiphora præferendum est Juri Canonico, quoad illam materiam obscure. At in Præscriptione annuarum præstationum, velut materia adiphora quoad computationem temporis Jus Civile est clarum, Jus verò Canonicum est obscure, aut omninò deficit, quia nullibi quidpiam de hac computatione statutum reperitur. Ergo hac in parte Jus Civile est præferendum. Sed, mèdè iudiciò, hæc 237 inversio & applicatio nequiquam subsistit: enimverò quis clarum dixerit Jus Civile quoad computationem temporis, cum ne verbulo quidem in l. cum notissimi &c. Imperator asserat, pro singulis anni singularis Præscriptiones expolci, sed privatè aliquorum interpretatione, contra communiorum aliorum explicationem, sensus iste exprimitur? Quis econtrâ Jus Canonicum eodem in puncto obscure esse, aut omninò deficere affirmaverit, si textus, paulo ante citatos, ad considerationis trutinam suspenderit, in quibus, dum contra Ecclesiam in juribus & obligati-

tionibus annuis, perinde ac in aliis præscriptionibus 40. anni expectuntur, manifestè innuit, unicam, & non plures Præscriptiones esse necessarias: Si enim plures forent necessaræ, multum ultra annos 40. & juxta quorundam ex Adversariis calculum ultra mille etiam annos excurrerent. Manet igitur firmum & certum, obligationes annuas eodè tempore & ratione de Jure Canonico expirare, quò tempore & ratione obligationes & jura alia expirant.

239 Dico II. In obligationibus annuis, ex actibus ultimæ voluntatis provenientibus, tota etiam Præscriptio 30. annis complectur. Ita ex citatis Baldus, Panormitanus, Nicolaus Everhardi, Albericus Boërius, Rath, Haunold, & alii contra Balbum, Schurffium, Tuschum, Jafonem, Accursium, Cumanum, & alios. Probari potest conclusio I. iis argumentis, quæ ad roborandam priorem conclusionem adduximus: nam obligationes annuas, ex ultima etiam voluntate, legato vel fideicommissio oriundas, unicâ actione peti posse, discussimus ex l. si probaveris 1. Cod. de Fideicommissis. quid nō igitur unâ quoque Præscriptio illas aboleri, doceamus? II. specialiter ex d. l. cum notissimi juris 7. §. in his etiam 6. Cod. de Præscr. 30. annor. ubi legata, quæ dationem per singulos annos, tempora, aut aliquid singulare tempus continent, in ordine ad Præscriptionem cum aliis promissionibus & obligationibus annuis comparantur. Unde inferri videtur, quòd de uno comparatorum dicimus, de altero etiam dicendum esse: 240 trejectâ distinctione Accursii, qui dictam comparationem ad initium, & non ad modum Præscriptionis coarctat: cum neque textus hanc distinctionem suggerat, neque solida ratio suadeat, sed potius distuadeat: hæc ipsò enim, quòd tota Præscriptio annuæ pensionis ex legato & contractu eodè tempore initium ducat, quò videlicet, uti mox dicemus, à solutione primitivè est cessatum, eodè etiam tempore & modò tota absolvitur: id, quòd ex objectionum propositione & solutione abundantius constabit.

242 Obijcies itaque contra primam conclusionem I. l. cum notissimi 7. §. ult. Cod. de Præscript. 30. annor. ubi Imperator in promissionibus annuis tempora Præscriptivum non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cuiusvis anni vel mensis, vel alterius temporis singularis computari jubet. Quibus verbis, ait Fachinæus, indicavit Justinus, & statuit, in annuis præstationibus tot 243 esse Præscriptiones, quot sunt anni. Et, si respondeas cum Bartolo & aliis nostræ opinionis defensoribus, mentem Imperatoris hanc esse, quòd Præscriptio in ejusmodi præstationibus non ab exordio obligationis, sed à tempore, quò primâ vice à solutione cessatum erat, numeretur, absque eo, quòd singuli anni singularis Præscriptiones efflagiti: dicaris à Fachinæo, album exponere pro nigro: si enim una Præscriptio sufficeret pro toto tempore futuro, non essent tem-

pora Præscriptionis metienda ex singulis mensibus.

Verum, quidquid obloquatur Fachinæus, 244 insistendum est responsioni Bartoli & sequentium, quàm non magis propriò Bartoli ingenio inventam, quàm menti Imperatoris concordem ac conformem esse; declaratur I. quia, spectandò & trutinandò ipsam constructionis Grammaticalis seriem, videtur Imperator voluisse oppositionem inducere inter ly ab exordio obligationis, & ly sed ab initio cuiusque anni. At, nisi posteriora verba explicemus cum Bartolo, inter illa & priora non inducitur oppositio: nam Præscriptionem computari ab exordio obligationis; & tot Præscriptiones esse, quot sunt anni, sibi nullatenus opponuntur: utpote cum utraque propositio simul & semel verificari possit. Econtrâ Præscriptio 245 nem computari ab exordio obligationis, & computari ab illo primùm die, quò solutio fuit primitivè intermissa, utriusque oppositionem & contrarietatem habent: quia secunda propositio est negativa primæ, habens hunc sensum: Præscriptio non computatur ab exordio obligationis. Ne 246 que ridicula aut nugatoria videri ista debet interpretatio, quasi videlicet antehæc jam notissima, Imperatoriâ declaratione non eguisset: ipse enim Imperator factis superque indigitat, se hoc in passu nihil novi statuisse, sed Juris veteris ac communis statuta etiam in obligationibus annuis retinere voluisse, dum his utitur terminis: manifestum est, id est, notorium jam, & nemini non perspectum. Quæ tamen verba potius in sententia contraria redderent nugatoria, si Imperator manifestum diceret, quòd perspicacissima etiam ingenia & obscurum, & durum, & vix non imperceptibile iudicabant. Declara 247 tur II. quia in tota l. cum notissimi Juris agitur tum de exordio tum de interruptione Præscriptionum; neque aliud ad exordium petitur, quàm actionis institutendæ potentia, ut nempe actio jam fuerit quoad efficaciam nata, uti d. §. 1. ibi: ex quo competere capis; & ex §. 4. ibi: post conditionis exitum, vel post initium diei certa vel incerta lapsam initium accipiunt &c. videre est: quòd ipsum mox in §. in his etiam 6. seu ult. ad obligationes annuas extenditur, ut nempe in his etiam (notetur particula conjunctiva) obligationibus Præscriptio non præcisè ab exordio obligationis exordium ducat, sed ex eo tempore, quò quis agere debuisset & potuisset, nimirum postquam debitor præstationem intermittere conseruit. In qua sanè explicatione Jura cum Juribus, & Leges, à num. 224. allegatæ, cum d. l. cum notissimi §. in his etiam, amplexissime componuntur, cuiusmodi compositionibus præmissis studere oportet cap. cum expediat 29. de Elect. in 6.

Dices: Imperator in d. §. in his etiam &c. 248 exemplum subiicit de emphyteuta, quòd nullo temporis curriculo rem emphyteutam præscribere possit. Obligatio autem Emphyteutæ est annua. Ergo signum est, quòd obligati-

- obligationes annuas e numero rerum præscri-
ptibilem excludit.
- 248 Resp. cum P. Engel ad d. tit. de Dec. n. 48.
illo Imperatoris exemplo potius confirmari
quam infirmari nostram sententiam: voluit
quippe indicare, emphyteutam, non obstan-
te, quod obligationi annuum præstandi cano-
nem præscripserit, prætereundum non posse,
quod rem etiam quoad dominium directum
præscripserit, ex defectu scilicet possessionis,
quam non habuit ut dominus directus, sed ut
emphyteuta. Aliter si textus iste esset, ut
non video, quod pacto cum reliquo contextu
conecti valeat.
- 250 Obijcies II. Adhuc, nondum natæ, non
præscribitur. Sed in præscriptionibus annuis
actio pro futuris temporibus nondum est na-
ta: etiam enim ponamus, solutionem a cre-
ditore primò vel secundò annò non exactam,
sive post triginta unum & duos annos hu-
jusmodi præscriptionibus fuisse præscriptum;
attamen non sequitur, quòd eodem tempore
solutioni, quæ tertio vel quarto primò an-
nò fieri debuisset, præscriptum sit: nam pro
solutione, tertio vel quarto annò faciendâ,
primò vel secundò annò necdum actio est na-
ta; ideòque necdum extingui potest, ne prius
feretrum quam cunas inveniat.
- 251 Resp. ex num. 207. negandò minorem, &
dico, actionem in debitis annuis à principio
obligationis quoad omnes pensiones statim
exurgere: cum juxta l. si probaveris 1. Cod. de
Fideicommiss. tam pro præteritis quam futuris
pensionibus agere liceat; non quidem, ut
omnes simul & semel, sed singulae pensiones
singulis annis præstentur.
- 252 Obijcies III. In obligationibus in diem
Præscriptio ante diei adventum non currit
sæpe cit. l. cum nullissimi §. illud autem 4. Sed
obligationes annuæ sunt obligationes in diem:
quia ante diei adventum præstari non debent.
Ergo in illis non currit Præscriptio, antequam
dies adveniat.
- 253 Resp. I. cum Bachovio & Schwendendorfer
loc. cit. distinguendò majorem: in obliga-
tionibus in diem Præscriptio ante diei adven-
tum non currit, si dies fuerit ab initio adje-
ctus, tanquam terminus, à quo incipit obliga-
tio, concedendò majorem: secus, negandò
majorem. Atqui in obligationibus annuis
dies non est adjectus, tanquam terminus,
à quo incipit obligatio. Ergo Præscriptio in
254 illis secùdò procedit. Ratio distinctionis
est: quòd terminus à quo suspendat obligatio-
nem & actionem, producatque impedimen-
tum Juris, quò Præscriptionis cursus interci-
pitur. At terminus ad quem vel intra quem,
nec obligationem nec actionem suspendit, si
eò collimet, ut pensiones dividantur, veluti

docet D. Gletle p. m. ad tit. Inf. de V. O. n. 21.
ideòque mirum non est, quòd nec Præscrip-
tionem suspendat.

Resp. II. cum D. Rath negandò minorem, 255
quòd obligationes annuæ propriè loquendò
sint in diem: non minus enim unitatem quam
puritatem habent, ut etiam ad cit. tit. Inf. de
V. O. advertit Clariff. D. Franz num. 63. quia
post contractum perfectum illico producent
obligationem & actionem efficacem d. l. si pro-
baveris. Cod. de Fideicommiss. licet quoad effec-
tum seu ipsam præstationem in plures annos
sint divisæ: obligationem verò in diem obliga-
tionem & actionem efficacem non statim pro-
ducunt.

Obijcies IV. contra secundam conclus. Le. 256
gatam annum esse multiplex per l. si in singu-
los annos 4. ff. de annuis Legat. ibi: si in singulos
annos alicui legatum sit, Sabinus plura legata esse
ait; l. si fructum 16. §. un. ff. de V. O. ibi: stipula-
tio hujusmodi in annos singulos una est & incerta,
& perpetua, non quemadmodum fructus legatum mor-
te legatarii finiretur. Ergo legatum annum
non unà sed multiplici Præscriptione submo-
veri debet.

Resp. cum D. Rath legatum annum esse 257
multiplex quoad transmissionem in hæredes,
ex tacita subintellecta conditione, si legatarius
vixerit: quæ conditio singulis annis verificari
debet, si legatum in hæredes transmittendum
sit d. l. si in singulos annos 4. de annuis Leg. aliter
quam in reditu unum, ex contractu debito,
qui singulorum annorum purus est ac perpetuus,
& ad omnes hæredes transitorius, quan-
doque creditor moriatur: ex ea forsitan 258
rationis differentia, quòd contrahens sibi &
hæredibus prospexisse legatarius l. veteris
juris 17. Cod. de Contract. stipulat. legans autem
speciali affectione ad legatarium respexisse
credatur: cum legata annua plerumque di-
scipline, alimentorum, aut amicis nomine
relinquantur. Stravius ad ff. Exercit. 35.
rh. 31. Hæc tamen pensio differenc- 259
tia, cum solummodò se teneat ex parte sub-
jecti, seu etiam causæ efficientis; ex parte
verò objecti jus annum, legatò quæsitum,
acque sit unum, ac jus annui reditûs, titulò
contractûs comparatum, quia incorporale:
hinc in ordine ad Præscriptionem nullum pa-
rit effectum, neque obstaculum causat ullum,
quò minus jus unum sicut alterum 30. anno-
rum Præscriptione tollatur. Quò etiam 260
collimasse videtur ius in d. l. 16. §. un. ff. de
V. O. ubi legatum annum à stipulatione annua
non ex capite unitatis, sed ex ratione du-
rationis eatenus distinguit, quatenus stipulatio
in singulos annos est perpetua, legatum verò
simile morte legatarii finiretur: quia personalia
cum persona expirant.

§. III.

De Jure luendi pignoris,

- 261 Recepti ubique moris est, ut creditores,
pecunias mutuas erogantes, in securi-
tatem crediti pignoris constitutionem à debi-
toribus exigant & recipiant, cum obliga-
tione

- tionem restituendi, ubi debitum per solutionem
expunctum fuerit. Nascitur exinde actio
pignoratitia, directâ & contraria. Directâ
competit debitori adversùs creditorem, ad
pignus, solvit debitor, repetendum. Contra-
riam movet creditor adversùs debitorem, ut
ratione pignoris servetur indemnitas. Ultra-
que actio est personalis, eoque nomine cer-
tam temporis metam, adinstar aliarum per-
sonalium, præstitutam habet in l. sicut 3. Cod.
262 de Præscript. 30. annor. Quæstionis modò
est, inter DD. admodum controversæ, præ-
scribaturne actioni directæ, seu, ut alii scri-
bunt, juri luendi pignoris intra 30. annos,
quando videlicet debitor intereâ nec debi-
tum creditori obtulit, nec ex consequenti
263 pignus luere curavit? Partem negativam
rueunt Zoësius ff. h. t. num. 41. Schambo-
gen Instit. cod. tit. §. 4. f. m. 301. Rath cap. 4.
asserit. P. Pirhing ad h. t. num. 17. Clariff. D.
P. Joan. Bapt. Ebberth p. 1. select. Controv. 9.
num. 3. eamque in Camera Imperiali præcti-
cari, docent Myning cent. 1. Observat. 16. &
264 Gail. lib. 2. Observ. 13. n. 4. Affirmativæ
patrociniatur Bachovius de pignor. cap. 20.
Vinnius select. quest. Fur. lib. 2. cap. 6. Anto-
nius Negulantius de pignor. part. 5. membr. 3.
num. 52. & part. 6. membr. 2. num. 19. Clariff.
D. Franz h. t. n. 10. quam etiam, velut com-
munem inter Legistas & Canonistas, post mul-
tos apud Gabriel. commun. conclus. lib. 5. con-
clus. 7. num. 1. recentissos, assumit Immola ibi-
dem citat. & in quam inclinat Rota Rom. in
rec. p. 19. to. 2. dec. 483. n. 17. Assumo & ego
265 Ratio principalis est: quia omnes actiones
personales jugi 30. annorum silentiò in perpetuum
quiescere, & silere jubeantur in d. l. sicut 3.
Textum autem luculentum hæctenus repe-
ri non fuit, quò actio pignoratitia directâ à
generali constitutione sit excepta. Ergo se-
cundùm generalis constitutionis regulam am-
266 bulare debet. Confirmatur. Jus credi-
toris adversùs debitorem, uti & adversùs
tertium extraneum pignoris possessorem;
item jus primi creditoris adversùs secundum,
atque è contrario jus secundi adversùs pri-
mum nunc 30. nunc 40. annis excluditur l.
cum nullissimi juris 7. §. 3. Cod. de Præscr. 30. an-
nor. Ergo etiam jus debitoris adversùs cre-
ditorem, in jure luendi pignoris constitutum,
tantò temporis cursu excluditur.
267 Neque sufficit, dicere, inter debitorem re-
spectu creditoris, & inter secundum credito-
rem respectu primi creditoris disparitatem
esse: quia jus offerendi, quod habet debitor
adversùs creditorem, competit per modum
facultatis, cui non præscribitur: illud verò
jus offerendi, quod habet secundus creditor
contra primum in eadem re, secundò loco
sibi oppignoratâ, competit per vim actionis
& juris, ideòque eidem rectè præscribitur.
268 Contra enim est: quia jus offerendi, quod
habet debitor, etiam per vim actionis & juris
competit: si enim ponamus, creditorem ob-
latam pecuniam nolle acceptare, is non per-

facultatem sed per actionem pignoratitiam,
ex præcedenti contractu & obligatione of-
ferendi luendique pignoris extortam, compen-
dendus erit: ex quo deducitur, jus offerendi
non per modum facultatis sed juris compete- 269
re. Deinde est creditor secundò perinde
liberum & arbitrium, velint primo credi-
tori offerre debitum, ac liberum & arbitra-
rium est debitori: neuter enim ad hoc adigi-
tur, neuter obligatur. Ergo respectu unius
perinde ac respectu alterius vires suas exeret. 270
Præscriptio. Adhuc jura facultatis abusu-
sive dicuntur, quæ ex præcedente contractu,
& non ex mero naturalis libertatis arbitrio
derivantur, ut diximus in num. 63. & mox
repetemus. Ergo jus offerendi, cum ex
præcedente contractu pignoris derivet abusu-
sive dicitur facultatis. Ergo disparitas est nulla.

Obijcies I. Non valenti agere non currit 271
Præscriptio. Sed debitor ante solutionem
non potest agere: quia omnis pecunia exsoluta
esse debet, aut eò nomine satisfactum esse, ut na-
scatur pignoratitia actio l. si rem alienam 9. §. 3.
ff. de Pignorat. act. Ergo ante solutionem de-
bitor non potest agere.

Resp. distinguendò majorem: non va- 272
lenti agere ob impedimentum Juris, non currit
Præscriptio, concedo majorem; non va-
lenti agere ob impedimentum facti, non currit
Præscriptio, nego majorem, & sic distinctâ
minore consistet. Debitor de jure potest agere,
quandocunque velit, modò de pecunia:
sibi provideat; hanc si non habeat, impedi-
mentum facti, non Juris est. Probatio- 273
nem minoris ex l. si rem alienam itidem distin-
guo: omnis pecunia exsoluta esse debet &c. ut
nascatur actio pignoratitia quoad substantiam
nego, quoad effectum concedo. Actio pignora-
titia quoad substantiam illico nascitur,
postquam contractus traditione pignoris est
perfectus: quia, dum ponitur obligatio tan-
quam causa, nascitur etiam actio, tanquam
effectus. Sed obligatio restituendi pignus
illico nascitur, postquam contractus est per-
fectus §. ult. Inf. quibus mod. re. contr. oblig. ibi:
creditor quoque, qui pignus accepit, re obligatur
(quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda
teneatur) actione pignoratitia. Ergo &c. Quoad 274
effectum verò, seu quoad facultatem agendi
efficaciter, post factam demùm solutionem
actio debitori competit: quia creditor ad re-
ditionem pignoris antea compelli nequit.
Fundatur hæc distinctio in l. solutus 11. §. 3. 275
ff. eod. ubi Ulpianus actionem pignoratitiam
cessare, asserit, quàmvis quid debeatur: supponit
ergo, actionem quoad substantiam jam esse
natam, cum effectu tum morerit non posse:
quomodo enim cessare & desinere potest, quod
nunquam incepit; aut quomodo mori, quod
nunquam vixit? Instantiam dat Vinnius 276
ubi supra in actione empti, quæ in substan-
tia, sive ut ille dicitur, quoad actum pri-
mum statim exurgit, simul atque de pretio
inter partes convenit per. §. 3. Inf. de Emp. &
Vendit. nisi tamen emptor pretium offerat,
D d 2 cum

cum effectu agere non potest contra venditorem l. Julianus 13. §. 8. ff. de Actio. empt. Quod non obstante, neminem se legisse, ait Vinnius, qui actionem empti adversus emptorem prius currere neget, quam pretium fuerit oblatum.

277 Instabis I. Creditor, cui obligatus est debitor in diem, habet jus agendi quoad substantiam arg. l. cadere diem 213. in pr. ff. de V. S. & tamen contra illum Præscriptio ante diei eventum non militat. Ergo nec contra debitorem pignoratitium militabit ante oblationem debiti, licet actio fuerit nata quoad substantiam.

278 Resp. discrimen esse, quod creditor cum obligatione in diem impedimentum Juris laborat: quia, si vellet, siue velit, existentiam diei expectare debet, nec à Jure eventum diei ad agendum cum efficacia admittitur. At debitor pignoratitium solummodo impedimentum facti distinguitur, quod sua opera potest amovere, si modo de pecunia sibi prospiciat. Ille igitur Juris præsidium in Præscriptione meretur, quia remotionem impedimenti in potestate non habet: iste vero non meretur, quia impedimentum per se loquendo sua potest industria remove.

279 Confirmani potest responso ex eo, quod obligationes conditionatæ in ordine ad Præscriptionem obligationibus in diem assimilantur in l. cum noiffimis §. 4. Cod. de Praescrip. 30. annor. & tamen, si conditio fuit potestativa, ejusque implementum in arbitrium creditoris reposita, conditio pro pura & purificata habetur, & consequenter Præscriptio locum facit arg. l. prator 1. §. 8. ff. Si quis omiffa causa testam. & ibi egregie Brunneinan n. 16. & Balbus 5. part. 5. princip. quest. 3. n. 1. Ergo cum in casu proposito debitor habeat conditionem in proprium arbitrium quoad implementum repositam, ea habetur pro pura, & locum facit Præscriptioni.

280 Instabis II. Quamdiu liberum est auctori, utrum velit agere vel non agere, tamdiu actio non est nata quoad substantiam, ut eidem Præscriptio noceat. Sed debitori est liberum, velitne creditum offerre vel non. Ergo ante oblationem actio non est nata &c.

281 Hanc instantiam, tamen ex Adversariis quidam magni faciunt, D. Rath, cæteroquin adversæ opinionis patronus, parum æstimat: quia nempe actus libertatis seu meræ facultatis aliam longè naturam habent ex num. 63. Claritatis tamen gratià juxta num. 65. distinguuntur potest inter nudum offerendi factum, & effectum, qui obligationem consequitur.

282 Nudum offerendi factum est utique actus meræ facultatis, sicut facultas adeundi Judicem pro intentanda actione commodati v. g. eod. que titulo nullà Præscriptione extinguitur: quia quæ, facti sunt, in firmari à Jure nec possunt, nec debent: cum ex eorum frequentia, millies repetitâ, nec turbatio in Republica,

nec damnum creditori inferatur. Effectus autem, qui oblationem comitatur, seu efficax jus agendi, non est meræ facultatis: cum non ex arbitrio debitoris, sed ex conventionne simul ac approbatione Legis proveniat; eaq; de causa Præscriptione sit extinguitur: quia Lex ex motivo boni publici ejusmodi juris & actionibus se immiscet, certumque iis terminum præstituit, intra quem non intentatæ pereunt, evanescent.

Obijcies II. Sinè possessione, quâ rem aliquis decinet ut suam, non datur Præscriptio. Sed creditor pignus non possidet ut rem suam, sed nomine & vice debitoris. Ergo pignus non præstabit; ergo nec actioni pignoratitiæ officii Præscriptio.

Resp. concedendò totum syllogismum, & negandò ultimam sequelam, utpote à statu nostræ quæstionis exorbitantem. Nunquam hæcenus diximus, quod creditor pignus præscribat, quasi deinceps res pignoratita in dominio ipsius transiret: cum huic Præscriptioni defectus non possessionis tantum, sed etiam bonæ fidei obstaret. Imò cum Negatione

part. 6. membr. 2. num. 24. post Præscriptionem, contra jus offerendi completam, debitori adhuc rei vindicationem adstruimus ad pignus, jure domini, quod penes eundem semper remanet, repetendū. Verum de jure offerendi & luendi pignoris seu actione pignoratitiæ cardo rei vertitur, eamq; 30. annorum fatali terminò constringi, nec aliquid amplius desiderari cõstanter defendimus. Nec gratis ita defendimus, ut primò forsitan facie videri posset, quasi videlicet inanis esset Præscriptio, si actione pignoratitiæ expulsus, adhuc remaneret rei vindicatio, quâ idem omnino, quod pignoratitiâ, quis petere valet: enimvero, ut Jura actionem pignoratitiâ præter rei vindicationem gratis non produxerit; ita eandem sinè rei vindicatione gratis interire, non sinit.

Scimus præter alia, rei vindicationem ob difficultatem probandi dominium, minus esse favorabilem, quàm actionem pignoratitiâ, in qua nil aliud, quàm rei oppignoratio, probandum venit. Præjudicium itaque non minimum debitori inferitur, si, actione favorabiliori sopitâ, minus favorabilis relinquatur salva. Ut omitam interea, quod aliâ debitor vi actionis pignoratitiæ à creditore possit exigere multa, que non possit exigere in vindicatione. Videatur textus in l. quamvis convenerit §. 6. un. l. creditor 42. ff. de Pignorat. act. & Struv. cum addit. Milleri ad eund. tit. Exercit. 19. ibi 48.

Resp. II. ex cap. 1. n. 21. Præscriptio est duas esse species, positivam & privatam: ad illam diximus, possessionem esse necessariam; ad hanc non etiam, ex ratione differentie ibidem jam indicatâ. At Præscriptio, quâ debitor jus luendi pignoris excludit, est privata. Ergo non habet opus possessione.

§. IV.

De Jure Retractus.

291 Jus Retractus est facultas redimendi rem venditam, eodem oblatò pretiò. Dividitur in Legale & Conventionale. Legale est, quod ab ipso Jure, vel Scriptò vel Consuetudinariò, certis personis tribuitur. Conventionale est, quod ex speciali conventionne promanet, ut in speciali conventionne promanet, ut in speciali conventionne promanet, ut in speciali conventionne promanet.

292 Dico I. Juri retractus 30. annis præscribitur, quando jus redimendi simpliciter fuit reservatum. Ita præter Authores, pro secunda conclusione adducendos, Stryckius de Cau. vel. contr. actuum sect. 2. cap. 8. §. 57. Menochius 294. Confil. 726. n. 62. & Confil. 1169. n. 41. Ratio est: quia in jure retractus, ut in jure offerendi & luendi pignoris duo consideranda sunt, merum videlicet agendi factum, & ipsum jus agendi, seu retrovindicacionem exigendi. Illud, cum res purissimæ facultatis sit, omnè proflus respuit Præscriptionem. Hoc, cum sit jus personale, non minus quàm cæteræ actiones & jura personalia certum vivendi & movendi habet terminum, nempe 30. annorum per l. sicut 3. Cod. de Praescrip. 30. annor. quò præterlapsò, nullâ amplius agendi licentia superest.

295 Quâ ratione jam est præclusa via communi objectioni, quod nempe jus redimendi sit meræ facultatis; nec non & alii objectioni æquè communi, quod antequam venditor offerat idem pretium pro revindicatione, necdum sit nata actio: nam, uti actiones reliquæ eò ipso nascuntur momento, quò contractus est absolutus; ita jus redimendi eodem suboritur momento, quò pactum redimendi completum est: implicat enim, ait D. Gletle, mox eicandus, causam absque effectu suo consurgere. Et hinc, si à tempore pacti interpositi 30. anni decurrerint, jus redimendi ad exemplum aliorum jurium emoritur.

296 Dico II. Juri retractus 30. annis præscribitur, esto nominatim convenerit, quod liceat venditori quoties & quocumque & in perpetuum redimere. Hanc conclusionem tenent Covarruv. lib. 1. Var. resol. c. 9. Balbus 4. part. 5. princip. quest. 3. n. 2. Rath d. c. 4. assert. 7. Haunold de J. & F. tr. 10. c. 1. n. 205. Gletle in quest. select. ex 3. p. pand. cap. 22. n. 4. Clarif. D. Franz. h. t. n. 12. Clarif. P. Melchior Friderich in insigni tractatu de Empt. Vendit. part. 4. cap. 2. art. 5. n. 482. &, ut colligitur ex Menochio Stryck cit. Authores 41. Ratio est: quia, non obstante clausulâ de perpetuitate retractus, jus redimendi manet jus personale. Sed jus personale perditur,

30. annis, esto sit perpetuum, uti colligitur ex 101. tit. Instit. de perpet. & temporalib. Actio. ubi omnes actiones personales civiles dicuntur perpetuæ, quamvis ultra 30. annos non excurrant d. l. sicut 3. ibi: hæc autem actiones 30. annis extinguuntur, quæ perpetuæ videbantur. Ergo, nõ obstante clausulâ de perpetuitate retractus, jus redimendi ultra 30. annos non excurrit. Et ita decidit Rota Rom. in una Rom. Fideicom. p. 10. dec. 311. n. 2. & segg. in rec. & p. 13. dec. 322. n. 7.

297 Divortium ab hac sententia faciunt Fachinus lib. 2. contrrov. c. 13. Gail lib. 2. observ. 18. n. 5. Mynsing. not. 1. obs. 16. & juxta horum assertionem praxis Cameræ. Pro quibus ultra objectiones, in præcedenti conclusione præoccupatas, militat I. quòd Jure communi jus redimendi rem venditam, simpliciter conceptum, duret triennio, ut in cit. conclus. probatum est: adeoque jus redimendi cum clausula quocumque & in perpetuum, ne frustra & otiosa sit, diutius durare debeat. II. quòd census redimibilis sinè ullo Præscriptio incommo do omni tempore possit redimi juxta constitutionem Pii V. quæ incipit: cum onus etc. §. 11. & hoc non ex alia ratione, ac quia in hoc censu apponitur pactum redimendi in perpetuum: idèquò idem judicium de omni pacto redimendi in perpetuum sit ferendum.

Sed responso non est adeò difficilis. Ad primum enim cum D. Gletle nego sequelam: quia jus redimendi plerumque ad tempus brevius, annum v. g. biennium, vel decennium coangustari solet; & idè si contrahentes de perpetuitate redimendi in perpetuum mentionem, satis exprimunt, in metam brevioris se neutiquàm consentire, sed velle, ut redemptione eò usque porrigitur, quousque perpetuitas in acceptione Juris communis porrigitur, hoc est ad 30. annos: unde pactum cum clausula de redemptione perpetua non est otiosum. Præterea clausulâ in contractibus semper aliquid speciale operentur, necesse non est, sed frequenter interpretationem ex Jure communi recipiunt arg. l. nonnullè 3. Cod. de Fidejussor.

Ad secundum Resp. duplicem esse disparitatem. Nam I. in censibus annuis jus redimendi est conjunctum exceptioni: quia, dum emptor agit ad solutionem census, venditor excipit quoad futuros saltem redditus, offerendò pretium redemptionis: sicut autem natura exceptionis est perpetua, & nullâ temporis Præscriptione tollitur l. pure mihi §. ult. ff. de Dol. mal. & met. except. ita etiam jus redimendi, exceptioni conjunctum. Covarruv. d. cap. 9. n. 8. II. pactum redimendi singulis annis in solutione census renovatur: dum enim venditor solvit, & emptor accipit, venditio prior de novo approbatur, obligatio revindicandi agnoscitur, simulque Præscriptio, si exordium etiam habuisset, interrumpitur. Idem ibidem. Sed Præscriptio adversus

sus jus redimendi rem venditam ex parte venditoris exceptionem nullam supponit; neque factum interruptivum Præscriptionis occurrit. Ergo non est paritas.

304. Sed quid, si inter contrahentes pactum re-

vendendi expressè ac reflexè ultrà 10. annos fuerit extensum, an nihilominus Præscriptio triennialis vel alia eum habeat effectum? Responsio ex cap. 3. a. n. 27. cum distinctione, ibidem insinuat, resumenda est.

§. V.

De obligationibus ex Delicto.

305. Delictum dividitur in ordine ad præsens institutum in privatum, in quo solummodo attenditur læsio privati, seu, ut alii differunt, de quo civili potissimum actione experiuntur ii, ad quos agendi jus pertinet; & publicum, in quo principaliter attenditur læsio Reipublicæ, sive in quo potissimum experiuntur actores seu accusatores criminali-

306. Ex delictis privatis oritur obligatio personalis, civilis vel prætoria, cui è diametro responderet actio personalis civilis vel prætoria. Ex delictis publicis emanat obligatio personalis ad sustinendam pœnam, Legibus publicis dictatam, cui ex adverso responderet actio criminalis seu potius accusatio ad debita contra reum supplicia expetenda.

307. De obligationibus & actionibus prioris speciei non est, quod circa Præscriptionem controversum scio: dicam tamen aliquid, ubi ad tempus Præscriptionis, in singulis actionibus requisitum, devenero.

308. De obligationibus & actionibus seu accusationibus posterioris speciei præter determinationem temporis, infra commodius faciendum, tria hic discutienda se offerunt. I. est, utrum Præscriptio in causis criminalibus solummodo contra accusatorem, an etiam contra Judicem curat? II. est, utrum Præscriptio adversus actorem, & Judicem procedat, esto ignoraverint, crimen esse admissum? III. est, utrum reus, elapsò Præscriptionis tempore, crimen confessus, possit adhuc pœnali iudicio percelli? Sequor in resolutione potissimum vestigia profundissimi Jcti D. Gletle in *Furiprud. verribili tom. 1. part. cap. un. §. n. 20. 21. & 22. & Sabelli in summa §. delictum n. 7.* Et

309. Dico I. Non tantum accusator sed etiam Judex Præscriptione in causis criminalibus repellitur. Probatum tum ex l. *anni spatium. 2. §. un. & l. quancunque 3. ff. de Requir. vel absent. damnandis*, in quibus, dum absolutè deciditur, quancunque questionem, sisco occasione criminum competentem, Præscriptione vicennali submoveri, deducitur, etiam Judicem, qui plerumque jura ficalia tuetur, 310. submovendum esse: tum quia etiam in civi-

libus actionibus Præscriptio tam contra actorem quam contra Judicem vim sortitur: ut adeò nec in criminalibus aliud dicendum videatur, cum ratio boni publici fudeat, ut æque accusatoribus atque actoribus post diuturnum silentium os obstruat: tum quia parum prodest Præscriptio, si accusatoris solum vocem, & Judicis non etiam manus liget, ut, qui humana fragilitate in scelus est prolapfus, inter sacrum & saxum continuo peadere debeat.

311. Si ingeras: iniquum esse, reum lapsu temporis ab omni pœnarum metu liberari: re-gero ego, uti in civilibus iniquum non est, reum aliquando ab omni exactionis metu liberari; ita nec in criminalibus iniquum esse, reum aliquando à suppliciorum timore abolvi.

312. Dico II. Judex unà cum accusatore in causis criminalibus excluditur, licet criminos uterque ignoraverit. Colligitur ex l. *mariti 29. §. l. quinquennium 3. ff. ad l. Jul. de adult. ubi quinquennium ad accusationem, adulterii concessam, dicitur esse continuum & non utile. Ergo etiam contra ignorantem currit. Ergo nec Judex nec accusator post tempora Præscriptionis quidpiam juris habent in crimine, licet ignoraverint. Et ratio est: quia in causis civilibus quoque non attenditur ignorantia vel scientia adversarii, uti trademus suo loco. Ergo nec in criminalibus erit attendenda.*

313. Dico III. Reus, post elapsa Præscriptionis tempora crimen confessus, nequit pœnali iudicio percelli. Probatum: quia, post elapsa Præscriptionis tempora crimen perimitur, ac perinde habetur, ac si non fuisset admissum *arg. dictorum in n. 309* Sed qui crimen, nunquam admissum, est confessus, nequit pœnali iudicio percelli. Ergo reus crimen, Præscriptione peremptum, confessus nequit, percelli &c. Confirmatur à paritate, ex causis civilibus desumpta: ibi enim, nõ attentè confessione, reus post lapsum requisitum temporis ad solutionem compelli non potest. Ergo post eundem terminum neque in causis criminalibus ad supplicium poterit condemnari.

SECTIO III.

De Juribus Ecclesiasticis.

SUMMARI A.

317. Digressio ad Jura Ecclesiastica. 318. & seqq. Episcoporum Potestas est duplex, Ordinis, Jurisdictionis. 320. & seqq. Præscriptio potest fieri cumulativè, vel privativè. 322. Præ-

scriptio quoad jura Episcopalia potissimum in Prælati procedit. 324. & seqq. Jura ordinandi & confirmandi est impræscriptibile. 330. & seqq. Etiam jus consecrandi cum unctione præscribitur.

vetatur. 333. & seqq. Non verò jus consecrandi sine unctione. 337. & seqq. Jura Episcopalia jurisdictionalia sunt præscriptibilia. 339. Et quidem omnia collectivè. 340. & seqq. In specie jus instituendi. 349. & seqq. Jus visitandi. 351. & seqq. Jus exigendi procuratorem est dubium. 355. De aliis juribus remissivè. 356. Transitus ad jura parochialia. 357. Sunt præscriptibilia. 358. & seqq. De jure decimandi varia præsupposita. 363. & seqq. Potest præscribi à personis Ecclesiasticis seorsim absque ceteris juribus parochialibus. 367. & seqq. Solvuntur objecta. 377. & seqq. Potest etiam à Laicis præscribi, quando ad Laicos legitime pervenit. 380. & seqq. Diluuntur opposita. 386. & seqq. Aliud ne quidem immemoriali tempore etiam jus utile duntaxat à Laicis præscribi valet. 400. & seqq. Satisfit argumento contrario. 405. & seqq. Sunt tamen in quasi-possessione temporis immemorialis manutendendi. 413. & seqq. Obviatur discrimen inter præsumptionem & Præscriptionem. 415. & seqq.

Corollare. 417. & seqq. Jus decimandi passivum etiam à Laicis rectè præscribitur. 424. & seqq. Dismodò Parochia congrua maneat sustentatio. 427. & seqq. Profectio materia ad decimas novalium. 430. & seqq. Qui præscripsit decimas ordinarias, præscripsit decimas novalium improprie talium. 434. & seqq. Non autem proprie talium. 439. & seqq. Adversa fundamenta everuntur. 445. & seqq. Eadem resolutio de jure decimandi passivo quoad novalia ponitur. 452. & seqq. Jus patronatus à Clericis indubitate præscribitur. 454. & seqq. Etiam à Laicis, si Ecclesia non sit libera. 458. & seqq. Explicatur Concil. Trid. sess. 25. deo ref. cap. 9. 461. & seqq. Etiam in Ecclesia libera. 476. & seqq. Etiam in Ecclesia Collegiali. 477. & seqq. Instantia de jure eligendi supprimitur. 478. Proponuntur Concordatæ Germaniæ. 479. Agitur questio de Præscriptione, Concordatis contraria. 480. & seqq. Sententia negativa referuntur, & probantur. 484. Responsio ad hanc probationem insinuat.

§. I.

De Juribus Episcopalibus.

317. D Evenio ad Jura Ecclesiastica, quæ pro objecto vel mediato vel immediato habent aliquid supernaturale seu ad vitam æternam promerendum ordinatum, solisque personis Ecclesiasticis, nec tamen omnibus, ab Ecclesia sunt concessa; dispecturus in hac sect. quid & quantum in iis Præscriptio respectu Clericorum possit. Hæc inter Jura primatum tenent Episcopalia, de quibus

318. Præmittendum I. Sicut potestas Episcoporum est duplex, Ordinis videlicet & Jurisdictionis; pariter jura Episcopalia esse duplicia, alia quæ fluunt ex potestate Ordinis; & alia, quæ fluunt ex potestate Jurisdictionis. Potestas Ordinis dependet essentialiter à consecratione & caractere Episcopali, triaque potissimum jura secum fert, jus ordinandi, consecrandi, & confirmandi; & hæc in vestibus & ornamentis Pontificalibus exerceri solent. P. Engel ad tit. 33. lib. 1. *Decret. num. 36.*

319. Potestas Jurisdictionis confertur in actu primo per electionem, & in actu secundo per confirmationem S. Pontificis, eaque de causa etiam ante consecrationem exerceri potest, uti patebit ex *rr. seq.* Jura exinde deducta enumerantur in *cap. conquerente 16. de Offic. Ordinarii*, in præsentî §. explicatiùs examinanda.

320. Præmittendum II. Præscriptionem in juribus Episcopalibus dupliciter reperiri posse, privativè & cumulativè. Vel enim præscribens totò Præscriptionis tempore solus in usu & exercitio juris Episcopalis exitit, Episcopò interè quietescente & abstinente; vel præscribens unà cum Episcopò intermedio Præscriptionis tempore jura Episcopalia protumificè exercuit. Priore casu jus Episcopale præscribitur privativè, hoc est, cò effectu, ut Episcopò non amplius superstitet fa-

cultas, aGum similis juris in eo loco exercendi. Secundò casu præscribitur cumulativè, hoc est, cò effectu, ut Episcopò unà cum præscribente deinceps in exercitio juris præscripti concurrat. Panormit. *ad cap. auditis 15. b. r.* Fagnanus *ibid. num. 6.* Barbosa *de Offic. & pot. Episc. p. 3. alleg. 127. n. 18.* Ratio est: quia tantum præscriptum, quantum possessum. Ergo, si possessio juris Episcopalis fuit privativa, vel cumulativa, Præscriptio quoque privativa vel cumulativa erit.

Præmittendum III. quætionem hic po-323 tissimum agitari de Prælati, Episcopò inferioribus, maxime verò usum Pontificalium habentibus: cum enim ex u. a. parte actus Ordinis ex n. 318. in vestibus Pontificalibus exerceri soleant; ex altera verò parte actus Jurisdictionis simplicibus Sacerdotibus, nullà Jurisdictione fori externi prædicis, raro aut nunquam hæctenus permitti fuerint: de aliis quàm Prælati Ecclesiæ, & maxime de Insularibus, multa disputare, tempus modò non finit. Pono jam 4. conclusiones, & præmissà distinctione in actibus Ordinis, quoad jus Ordinandi, Confirmandi, & Consecrandi; & in jure Consecrandi cum vel sine unctione

324. Dico I. Jus Confirmandi & Ordinandi Prælati, Episcopò inferioribus, præscribi nequit. Sic ex communi docere videtur Covarruv. *lib. 1. Var. resolut. cap. 10. n. 14.* Panormitanus *ad cap. quanto 4. de Consecrad. n. 2. & ad d. cap. auditis b. r. n. 23. 33. 34.* Gonzalez *ibid. n. 7.* Et decisa habetur conclusio satis manifestè in *d. cap. quanto*, ubi Innocent. III. ab initio generaliter facit mentionem de consuetudine quorundam simplicium Sacerdotum, Sacramenta, solis Episcopis referantur, administrare præmentum; & deinde exemplum subdit de Sacramento Confirmationis, à solis